Lessus in Innocentium Stragib⁹ Bethlemi decantatus. à F. Cælestino in Octava Epiphaniæ Anno 1660

F. Cælestinus

Sileat superba antiquitas Heroum triumphatrices quadrigas, in purpuratis hodie canis triumphos, ducit infans exercitus, vicit enim inter proprias strages, conflixit inter bullas, et quod mirum est, dum hostibus resistere non posset, gloriosissimas retulit palmas: obstupuit terra lactentium pugnas, risit cœlum triumphos, tremuit barbarus victorias, risit fortitan et bimulus ille Deus, dum adverteret, sibi illorum sanguine Regias purpuras comparari, quas inter tot innocentium strages demens hostis volebat sepelire, plausere procul dubio, etiam ipsa parvulorum agmina, dum se in ipso mortalitatis limine ad immortalitatis metam pervenisse conspicerent. Scitis puto Aud: itum: antequam dicam, quid dicturus sim, produnt ē se suo vagitu parvulorum acies, quas oratorio stylo instruere aggredior, imo tragico, requirit id tragœdia nulli unquam sæculo audita, tragœdiam inquam, quam mirarer utique tam bene a pueris lusam, nisi seria nimis fuisset illa crudelitas, ah nimis parum dixi, qui crudelitatem